

LIB. IV 2. 3

et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis  
(unde hodie Vicus nomina Tuscus habet), 50  
tempore quo sociis venit Lycomedius armis  
atque Sabina feri contudit arma Tati.  
vidi ego labentes acies et tela caduca  
atque hostes turpi terga dedisse fugae.  
sed facias, divum sator, ut Romana per aevum 55  
transeat ante meos turba togata pedes!  
sex superant versus (te, qui ad vadimonia curris,  
non moror): haec spatiis ultima creta meis.  
stipes acernus eram, properanti falce dolatus,  
ante Numam grata pauper in urbe deus. 60  
at tibi, Mamurri, formae caelator aënae,  
tellus artifices ne terat Osca manus,  
qui me tam docilis potuisti fundere in usus.  
unum opus est, operi non datur unus honos.

3

Haec Arethusa suo mittit mandata Lycotae,  
cum totiens absis, si potes esse meus.  
si qua tamen tibi lecturo pars oblita derit,  
haec erit e lacrimis facta litura meis: